



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theses Historico-Theologicae De Doctrina Lovaniensium Potissimum Veterum Circa Praedestinationem Et Gratiam Christi**

**Huygens, Gommarus**

**Lovanii, [1682?]**

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40415**



Th. 2170.

Z. IV  
3.



103

104

105

106

THEOLOGICAL WORKS  
OF  
APPENDIX  
OF PROPOSITIONS



T H E S E S  
HISTORICO-THEOLOGICÆ  
D E  
DOCTRINA LOVANIENSIIUM  
POTISSIMUM VETERVM  
CIRCA  
PRÆDESTINATIONEM  
E T  
GRATIAM CHRISTI

QUAS PRÆSIDE  
EXIMIO VIRO DOMINO AC MAGISTRO NOSTRO  
GUMMARO HUYGENS LYRANO,  
D E F E N D E T  
MATTHÆUS ROUVROY NAMURANUS;

In Collegio ADRIANI VI. Pontificis die 22. Octobris 1682.



L O V A N I I,  
Typis GUIELIELMI STRYCKWANT sub aurea Lampade.



### CONCLUSIO PRIMA.



Majores nostri anno 1586. in suo judicio Scholastico quod Censuram vocant, palam tradiderunt doctrinam de necessitate gratiæ per se efficacis ac prædestinationis gratuitæ pro hoc statu naturæ lapsæ. Biennio post, similem Censuram sive Judicium Scholasticum de eadem doctrina publicavit Facultas Theologica Duacensis; & eodem anno 1588. Censuram suam Facultas Theologica Lovaniensis confirmavit per ejusdem Censuræ justificationem seu defensionem. Anno autem 1613. Nullo Magistrorum contradicente, tota Facultas Lovaniensis uniformiter declaravit & testata est, se semper tenuisse & nunc de præsentì tenere, semper persistisse; & nunc de præsentì persistere in sua antiqua sententia, quam in dictâ Censurâ tenuit, & ibi declaravit, nec unquam ab illâ sententiâ discessisse, nec in posterum Deo favente discessuram, donec per summum Pontificem aliud definiatur, aut à S. Romanâ Ecclesiâ, cujus Censurâ & correctioni omnia in prædictâ Censurâ contenta, & qualibet alia à se dicta & in posterum dicenda humiliter subjicit, aliud tenere ei præcipiatur. Declaravit insuper tantùm abesse ut argumentis Patris Lessii à sua sententia recesserit, ut ex adverso quemadmodum olim ipsius dicta improbat, ita nunc improbat ipsius edita scripta in hac determinatâ materiâ. Iisdem penè verbis Facultas Theologica Duacensis nullo similiter Magistrorum contradicente anno 1648. Uniformiter declaravit, se semper tenuisse & nunc de præsentì tenere, semper persistisse & nunc de præsentì persistere in suâ antiquâ sententiâ quam in sua Censura tenuit.

### CONCLUSIO SECUNDA.

Post annum 1613. non semel Facultas Theol. Lovaniensis Sedi Apost. significavit (cum omni tamen, ut antehac, obedientiâ & reverentiâ) sese in doctrinâ Censuræ ac Justificationis suæ, donec aliter S. Sedi videatur permanere, ac deinceps permanfuram esse. Et novissimè an. 1679. 9. Martii per Deputatos suos Summo Pontifici in manus tradidit librum, in quo antiqua Lovaniensium ac Duacensium doctrina de prædestinatione & gratia an. 1586. & 1588. expressa est unâ cum declaratione Facultatis Lovaniensis anni 1613. superius citatâ, & simili declaratione Facultatis Duacensis anni 1648. etiam suprâ citatâ; declarabatque Facultas Lovaniensis sese paratam in antiquâ istâ doctrinâ persistere, si nihil istius Sedem Apostolicam offenderet, paratam verò eandem corrigere si quidpiam offenderet. Porro Sanctitas sua dicti libri examen pluribus Theologis delegavit, qui post trimestre examen declararunt (quod ab Assessore S. Officii Deputatis nostris intimatum est) doctrinam dicto libro contentam posse teneri & doceri sine offensa S. Sedis; quod etiam archivis Congregationis S. Officii insertum est. Quæ omnia vel idèò libentiùs publicamus, ut si quis adversariorum de veritate hujus Historiæ fortassis dubitet, inquirere possit num verum sit, quod isto tempore eo modo illic actum, & ab ipso Sancti Officii Assessore pronuntiatum dicimus. Nobis certè de hujus Historiæ veritate dubitare non licet, cum Deputati nostri fide dignissimi, atque ab omni restrictione mentali remoti, ei propria manu subscripserint; quam quidem subscriptionem parati sumus cuilibet, etiam iis qui partium studio ducuntur ostendere. Nec videmus quomodo alius quispiam de jam narratis dubitare possit; cum jam triennium effluerit ex quo Lovanienses hanc Historiam publicarant; intrâ quod triennii tempus procul-dubio jam ab Adversariis procuratum esset testimonium, quo nostrorum impostura foret manifesta, si res non se ita haberet, quemadmodum toties dictum: nulla siquidem sibi est ratio, ob quam ejusmodi testimonium ab Adversariis non peteretur, aut cur petitum eis denegaretur. Quâ enim justitiæ specie poterit à tribunali justitiæ denegari testimonium adèò necessarium ut tam iniqua impostura detegatur? Nisi fortè cogitent quod tantùm tribunal, in re tanti momenti, pro

pro qua per tot annos tam multa dicta & acta sunt, sinet sibi imponi quidlibet, pro cuiuslibet impostoris libidine.

#### CONCLUSIO TERTIA.

**F**Alleris si existimes quod maiores nostri saltem an. 1586. doctrinam novam tradiderint. Si enim ita esset, nunquam ausi fuissent illo ipso tempore, quo de falsitate convinci poterant, palam in peroratione ad justificationem Censuræ suæ, profiteri: *Non esse peregrinam à nobis in scholas nostras doctrinam invecctam, sed cum à paucis quibusdam, vel ab uno fortasse Ruaro (quod pace tanti viri dixerimus) fieri cœptum id esset, depulsa novitate veterem per nos ac plerosque etiam Antecessores nostros revocatam, assertam, defensamque, ac integritati suæ restitutam esse, adeoque nec unquam vel ejus temporis Facultatem nostram, aut notabilem aliquam ejus partem præfati viri opiniones probasse, quemadmodum præter ceteros locupletissimus est testis Iudocus Tiletanus Collegii tunc nostri haud sane postremus. Neq; verò Scholasticorum illi obfuit propriè lectio, sed quod illis plus a quo inhaerens ad B. Augustinum tam serò accesserit; nec nisi privatis quibusdam occupatus opinionibus, quarum præjudicio tentus, legere postea illum, nisi alieno animo non potuit, eoque non se illi, sed eum sibi attemperare & inflectere conatus.* De eodem Ruaro Guilielmus Estius tum in Universitate Duacensi Theol. Professor in responsione ad Objectiones Deckerii Societatis **J E S U** Professoris loquitur his verbis: *At nec illud de Ruaro præmittendum est, eum aliquando à magnis viris & nominatim à Petro Soto doctissimo & Sanctissimo Theologo admonitum & reprehensum fuisse, & coram & per litteras, quod in illis suis de gratia & prædestinatione opinionibus, non rectè ambularet secundum veritatem Ecclesiasticæ doctrinæ. Qui etiam aliquando à quodam Collega schola admonitus de Fausto: quod non VENERABILIS, ut eum vocabat, sed DAMNABILIS Author esset. Ea re sibi indicata vehementer obstupuit, ut ego ab illo Collega accepi. Nam ab eo Collega sui, iique præcipui dissentiebant. Ab anno 1561. id est, (biennio post obitum Ruardi) usque ad annum 1582. eas scholas (scilicet Lovanienses) trivi partim ut discipulus, partim ut Licentiatus aut Magister (inquit Estius in responsione ante citata) quique sententiam & doctrinam Professorum illius temporis probè cognitam habui, eo enim loco tunc habebantur hæc dogmata (à Lessio & Deckerio postea tradita) ut si quis ea publicè vel docendo proponeret, vel disputando defenderet, non parum offenderet. Duo hinc consecutanea sunt. 1. Quod doctrina Molinæ & discipulorum ejus in Academiâ Lovaniensi tempore ipsius Censuræ fuerit nova. 2. Quod etiam tunc illa ipsa Censuræ Doctrina fuerit à Majoribus nostris tamquam antiqua & avita doctrina tradita.*

#### CONCLUSIO QUARTA.

**M**olina in Concordia qu. 23. art. 4. & 5. disp. 7. dicit: *Neque vero dubito quin ab Augustino & cæteris Patribus unanimi consensu comprobata fuisset hæc nostra de prædestinatione sententia, ratioque conciliandi libertatem arbitrii cum divina gratia, præscientia & prædestinatione, si eis fuisset proposita.* Facillimum foret hinc inferre, quod Molina fateri debeat doctrinam suam nec Ecclesiæ, nec Summis Pontificibus fuisse comprobatam. Consequentiam norunt quotquot sciunt Ecclesiæ & Summis Pontificibus semper fuisse probatum illud: *Nihil novandum nisi quod traditum est.* Et in doctrina gratiæ per cæteris Sanctis Patribus sequutos fuisse S. Augustinum, cui non dubitarunt tantum tribuere contrà gratiæ inimicos, quantum contrà Valentinos & Gnosticos Irenæo; contrà Arianos Athanasio atque Hilario, contrà Nestorianos Cyrillo; denique contrà Eutichianos Leoni Pontifici. Propinquiùs ex dictis Molinæ inferimus quod ipse senserit suam doctrinam de prædestinatione & gratia non esse doctrinam Patrum, & signanter non esse Augustini. Quod hanc Molinæ æstimationem attinet, mirè in eadem cum ipso consentiunt Majores nostri: quibus ob rationem pro auctoritate Augustini jam allegatam summa cura fuit Augustinum non modo adversus Molinam sed etiam adversus ejus discipulos eum indigniùs quàm ipse Molina tractantes, defendere. Ne diutius his immoremur, vide quæ Præfatio Censuræ Lovaniensis

His habet pag. 7. & potissimum hæc: *Intolerabile nobis visum quod non solum adversus Pelagium & ejus hæredos infeliciter laborasse Augustinum fingatur, sed idem quoque de Calvinismo & Lutheranismò suspectus redditur, tamquam imperitus, stupidus ac cæcus habetur, ut non modo gratiæ ipsius de quâ disserbat, vim naturamque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne morituis quidem, dogmate suo evertere se senserit.* Præf. pag. 7. vide etiam quæ ex Molina. & discipulis ejus adversus S. Augustinum dicta allegat in Vindiciis suis Augustinianis Henricus de Noris incipiendo à pag. 371. Hæc (quod nimirum doctrinam Augustini totam propemodum ex proposito oppugnari, funditusque destrui viderent Majores nostri, ipsumque Augustinum adeo suspectum reddi) ratio fuit, cur doctrinæ Molinæ ac discipulorum ejus sese opposuerint prædicti Majores: cur item Metropol. Mechliniensis ac Cameracensis Synodum parabant Episcoporum qui dogmata à duabus Facultatibus damnata discuterent, eademque toto proscriberent Belgio; non verò ea quam refert *imago primi seculi lib. 6. c. 4.* dum ait: *causa tempestatis fuit primi nominis & autoritatis Doctor Theologus qui varia doctrinæ suæ capita non sanam fidem redolentia supremo Sedis Apostolica imperio solemniter ejurare compulsus, coram Francisco Toletò homine Societatis, Apostolico in eam rem legato, & paulò post S. R. E. Cardinale, quasi honoris sui vindicias acturus, quam ipse notam contraxerat, eandem visus est imminente Lessio inurere voluisse, & conantem illum doctissimus quisque Facultatis Theologiæ tanquam communem injuriam ulturnus adjuvabat.* Si plures istius oppositionis rationes, seu tempestatis causas, ut vocant Adversarii, scire velis, eas in præfatione Censuræ, & præcipuè quam pag. 19. exprimunt his verbis: *Non parum veremur ne si in susceptâ semel doctrinâ ita perseveretis, &c. Ubi Majores nostri ominando prædicunt, quænam ex doctrinâ Molinæ de Prædestinatione & Gratia temporis successu in Theologiæ Moralis ac morum relaxationem redundabunt.*

#### CONCLUSIO QUINTA.

Sicut anteriori conclusione ex ipsismet Adversariorum verbis ostensum est, quod eorum doctrina Augustino comprobata non fuerit, ita nunc ostendendum foret quod Lovaniensium doctrina eidem fuerit probata. Id, inquam, ostendendum foret, nisi in sæpè dictis Censuris, & justificatione id jam pridem ostensum fuisset. Ad illas proinde Lectorem remittimus. Ne tamen vel hoc titulo ei suspecti simus, quod pro controversiæ decisione ad partem adversam eum remittamus, consulat ipsa loca Augustini quæ in dictis Censuris & Justificatione citantur; vel, si lubet, ipsum Augustinum adeat, legatque in ipso fonte, non quæ Augustinus scripsit juvenis, & Semipelagianorum errore aliquousque infectus; aut quæ adversus Manichæos: sed quæ jam senex adversus Pelagianos & potissimum adversus Semipelagianos conscripsit. Ut lib. de Prædestinatione SS. & de bono perseverantiæ. De correp. & gratia, de gratia & libro arbitrio. Item epist. 105. 106. & 107. Quæ omnia non sine speciali Dei providentia ac beneficio in unico eoque exiguo volumine, quod Augustini *Opuscula selecta* vocant, eo tempore edictepta sunt, quo Augustini de gratuita prædestinatione & gratiâ per se efficaci doctrina acrius quàm ullo antea tempore oppugnabatur. Si non vacet hæc integra legere, unicum saltem libellum de Correctione & gratia, vel in uno libello, duo capita undecimum scilicet & duodecimum attentè legat: expendat discrimen quod illis capitibus inter adjutorium hominis integri & hominis lapsi astruit Augustinus: dicendo: *Tale erat adjutorium quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia quæ data est primo Adam: Sed potentior est in secundo Adam. Prima est enim quæ fit ut homo habeat justitiam si velit: En adjutorium primi statûs verbis Augustini expressum; audiamus nunc quibus verbis exprimat adjutorium secundi statûs, secunda ergo plus potest, quâ etiam fit ut velit, & tantum velit tantoque ardore diligit, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Hoc est ipsissimum illud discrimen, quod & Majores nostri & nos etiam hodie assignamus inter adjutorium utriusque statûs,

Ratū; & tamen vīsus est nuper Adversariōrum aliquis, qui discrimen à nobis, id est ab Augustino assignatum vocare ausus sit *Spurium*, an ergo *Spurium* censet discrimen assignatum ab Augustino? An fortè censet aliud ab hoc, aliud à nobis assignari? Si posterius dicat, probet nos saltem aliqua in re hīc ab Augustino differre: si prius, ostendit se esse de numero eorum, de quibus Majores nostri pag. 5. & sequentibus præfationis Censuræ suæ meritò conqueruntur, quod doctrinam Augustini, & Augustinum ipsam indignissimè tractaverint. Neque nobis difficilè est ex ipso Augustino, Augustini discrimen firmissimè stabilire. Primum enim membrum probat hoc modo; *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini cum primum facti sunt defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique suā culpā cecidissent. Adjutorium quippè defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est. Secundum solidissimè probatur ex his S. Script. locis; Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei. Deus est qui operatur in nobis velle & perseverare pro bona voluntate, &c. & porissimùm ex hoc loco; quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Quo præcipuè testimonio etiam ipse Augustinus convictus est. Bina dicti & stabiliti discriminis membra totidem sunt principia, ex quibus per consequentias prorsus evidentes Lovanienses inferunt præcipuas suas doctrinas de prædestinatione & gratia, eorumque concordia cum libero arbitrio. Satis sagaces fuere Semipelagiani de quibus in suis ad Augustinum epistolis Prosper & Hilarius, ut tot invisas sibi Conclusiones in istis principiis contineri adverterent: hinc illæ ipsorum querelæ de dicto discrimine: *Molestum ferunt, inquit Hilarius, ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data est, vel nunc omnibus datur, ut ille accepit perseverantiam, non quæ fieret ut perseveraret, sed sine qua per liberum arbitrium perseverare non posset: nunc verò sanctis in regnum per gratiam prædestinatis non tale adjutorium perseverantiæ detur, sed tale ut eis perseverantia ipsa donetur, non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possent, verum etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.**

#### CONCLUSIO SEXTA.

**D**iscrimen assignatum ratione membri posterioris insolubili nexu secum trahit prædestinationem gratuitam pro hoc statu, quam etiam aliàs tantâ constantiâ sustinuit Augustinus, ut prædestinationem ex prævisione operum ubique ab eo oppugnari asserat Bellarminus. Hinc non mirum quod ante Molinam omnes præcipuæ Academiæ Europæ cum D. Aug. docuerint gratuitam illam prædestinationem. De Belgicis patet ex Censuris & Justificatione jam sæpè citatis. Academia Salmantiensis in Hispania sententiam suam tulit occasione quarundam Thesium de prædefinitionibus æternis, in quibus oppositum anno 1581. in illa ipsa Academia ab aliquo Societatis Theologo propugnabatur: quod nimirum prædestinatio fieret ex prævisis meritis: quarum Thesium doctrina (ut ab ipsa adversa parte refertur) gravissimis Doctoribus summè displicuit: nam & censura notarunt, & res ad sacros Fidei Inquisitores delata est: Sic refert Paulus Serlogus Soc. JESU, qui occultato nomine se vocat Paulum Leonardi, in lib. cui titulus: *Resp. ad expostulationes adversus scientiam mediam.* 3. parte sect. 7. nu. 35, Facultas Thologica Coloniensis suam mentem super hac quæstione declaravit, dum Theologiam quam hæctenus more majorum in scholasticis concertationibus ventilandam proponit; quamque publicè pro scholæ usu proficetur, typis divulgandam censuit; siquidem p. 1. tract. 2. sect. 7. dist. 6. n. 3. habetur hæc Thesis *Prædestinatio facta est ab æterno præcise absque volentis aut currentis conatu vel merito præviso, & absolute, absque creanda voluntatis in consensu & operatione concursura conditione: ex solius miserentis Dei mero beneplacito: ita ut ex parte prædestinati nulla detur prædestinationis ratio objectiva seu causa, neque quoad decretum gloriæ, neque quoad decretum gratiæ.* Academia Parisiensis condemnavit an. 1347. inter alios articulos hunc; *Propter opera alicujus futura*

*bona, Deus præordinavit aliquem ab aeterno. Habetur ad calcem lib. Magistri sententiarum sub hoc titulo: Articuli condemnati per Magistros Parisienses anno 1347.*

CONCLUSIO SEPTIMA.

**Q**uin loco citato Molina ait: *Hac nostra ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione à nemine quem viderim, hucusque tradita, &c.* Sentit ergo Molina quod sua sententia non solum ab Augustino & cæteris Patribus non fuerit tradita, sed etiam quod à nemine alio quem viderat. In hæc tamen postremâ parte Molinæ discipuli, adversus quos egerunt Majores nostri, cum suo Magistro consentire, non videntur, dum pro sua sententia allegant Faustum Regiensem, Gennadium, Sedulium, Cassianum & plures alios Semipelagianorum errore infectos; de quibus videre licet Thomam Lemos tom. 2. tract. 3. de Prædestinatione cap. 30. & justificationem Censuræ Lovaniensis incipiendo à pag. 98. Similiter à Magistro suo Molina recedit Ripalda, dum l. 2. de statu naturæ lapsæ disp. 23. sect. 8. sic ait: *Indubitatum est constantem fuisse Prosperi mentem in asserenda gratia auxiliante Dei purè sufficienti, quippè omnibus etiam non cooperantibus communi. Quod rursus pulchrè cecinit lib. de ingratis cap. 10. differens de gratia, quam Ecclesia Catholica profitetur:*

*Vt cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum  
Præteriens, studeat communem adferre salutem.  
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum:  
Sed proprio quemque arbitrio parère vocanti,  
Iudicioque suo motâ se extendere mente  
Ad lucem oblatam, qua se non subtrahat ulli.*

*Audis (pergit Ripalda) gratiam Dei cunctos vocare, nullum præterire, nulli subtrahi, & in omnium arbitrio ejus obedientiam constitui, ideoque inobedientiam ad culpam deputari? Audimus certè ejusmodi gratiam in adductis carminibus pulchrè describi: sed non audis tu quod Prosper non id dicat de gratia quam Ecclesia Catholica profitetur, sed de ea quam Semipelagiani tuebantur? Audi ergo quomodo in carminibus immediatè præcedentibus alloquatur ingratos.*

*Gratia qua Christi populus sumus, hoc cohibetur  
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:  
Vt cunctos vocet illa quidem &c.*

*Audi & illa quæ paulò post subjungit cap. 11.*

*Iam quia summatim, ut potuit, sententia vestra  
Decursa est: Dic unde probes quod gratia Christi  
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur  
Prætereat?*

Libenter ergo cum Molinæ discipulis adversus Molinam profitemur, quod ipsius ratio conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione fuerit ab istis auctoribus dudum ante ejus tempora tradita: non potuit proinde D. Augustino & Patribus adversus Semipelagianos decertantibus esse incognita (prout prætendit Molina) quæ tamen ab Augustino & discipulis ejus non fuit tradita, quia improbata, nimirum pro hoc statu naturæ lapsæ.

CONCLUSIO OCTAVA.

**E**x dictis patet quod & nos, dum cum Majoribus nostris improbamus rationem conciliandi libertatem arbitrii cum divina prædestinatione à Molina traditam, Augustini aliorumque Patrum vestigiis insistamus. Iisdem rursus insistimus dum definitionem illam liberi arbitrii: *potestas ad agendum & non agendum positis omnibus ad agendum prærequisitis* Theologiæ non esse necessariam asserimus: Illam siquidem non tradiderunt dicti Patres, imò in sensu

sensu composito intellectam tradere non potuerunt ; utpote directè adversantem suæ sen-  
 tentiæ de gratiâ efficaci & prædestinatione gratuitâ. *Hanc definitionem ( inquit P. Lemos*  
*tomo 3. lib. 3. pag. 1. tract. 2. cap. 3. de definitione ista libertatis ) cum explicatione suâ,*  
*non ex Aristotele aut doctrinâ ejus, non ex Augustino aut SS. Patribus, non ex Magistro sententia-*  
*rum, S. Thomâ, aut Doctore aliquo ex gravioribus ; sed ex Almâno in suis moralibus didicerunt*  
*recentiores, licet Almânus explicationi eorum non multum arideat.* Similia vide apud Didacum  
 Alvarez disp. 115. Nihil non moliantur istius definitionis ut antè intellectæ patroni, ut  
 eam stabiliant, etiam auctoritate Concilii Tridentini. Verùm absque operoso examine,  
 vel ex hoc solo quod Concilio interfaerint ex Prædicatorum ordine universum §8. qui  
 omnes cum toto suo ordine sententiam suam retractare debuissent, patet omni verosimi-  
 litudinis specie carere argumentum illud desumptum ex auctoritate dicti Concilii. Quod  
 enim sententiam suam non retractaverunt, evidentiùs est quàm ut probatione egeat.  
 „ Solet & Scoto tribui (inquit Lemos loco citato) ante dicta, definitio liberi arbitrii, sed ipse expli-  
 „ cationem prædictam nullo modo admittit, sed penitus rejicit, in tantum, ut ipsum Scotum  
 „ destructorem libertatis Molina nominet in concord. disp. 50. §. se Scotus ; propterea  
 „ quod admittit divinas efficaces prædeterminationes, quibus positus non stat liberum ar-  
 „ bitrium aliter operari quàm definitum à Deo est. „ Ita Lemos. In editione Antver-  
 „ piensi Molinae habentur hæc : *arbitror sententiam hanc Scoti plus quam periculosam esse in fide.*  
 Non minori in pretio definitio illa cum sua explicatione hodie est apud Molinae discipulos  
 quàm olim fuerit apud Molinam, siquidem non minùs hi quàm ille istam definitionem in-  
 tellectam in sensu composito posuerunt fundamentum totius doctrinæ suæ. Sensum com-  
 positum intellige eum, juxta quem cum omnibus ad agendum prærequisitis componi  
 possit oppositum actus. Ob hanc definitionem negant cum gratia per se efficaci stare li-  
 bertatem arbitrii, nam gratia per se efficax revera non potest simul esse cum opposito  
 actus boni ad quem à Deo datur ; quandoquidem ejusmodi gratia det non solum posse  
 bonum agere sed det ipsam bonam actionem : neque enim gratia per se efficax est adjuto-  
 rium quo possumus bonum agere si velimus, sed quo re ipsa velimus. Porro quia in hunc  
 modum de gratia hujus status sentiunt Lovanienses ; hinc ab adversariis veluti si liber-  
 tatem arbitrii cum Lutero & Calvino negarent, accusantur. Atque hæc potissima ratio  
 est, cur hodie etiam apud tribunalia laica veluti suspectæ doctrinæ tradamur ; neque  
 nos soli, sed etiam Canonici Præmonstratenses, Dominicani, Augustiniani, Carmelita  
 Discalceati, Capucini, cum Præsbyteris Congregationis Oratorii ; quod nimirum in dictis  
 ordinibus vel Congregationibus, doctrinam de gratia per se efficaci, quam Adversarii li-  
 bertatis destructricem existimant, saltem ab aliquibus tradi audiverint. Hæc est ipsissima  
 ratio cur ( quod Majores nostri in præf. Censuræ pag. 7. testantur ) à quibusdam Molinae  
 discipulis etiam ipse Aug. de Lutheranismò ac Calvinismò suspectus reddatur. Cur item  
 tamquam imperitus, stupidus ac cæcus habeatur, ut non modo gratiæ ipsius, de qua  
 diserebat, vim naturamque nescierit, sed nec arbitrii humani libertatem, ne monitus  
 quidem, dogmate suo evertere se senterit. Hæc ergo definitio libertatis, etsi nec SS. Pa-  
 trum, nec Doctoris alienjus ex gravioribus, aut ullius ex veteribus auctoritate stabili-  
 ta, præfertur doctrinæ Augustini, qui toties à summis Pontificibus, & ab Ecclesia ipsa lau-  
 data & probata est ? Præfertur quoque solidissimæ illi interpretationi locorum S. Scrip-  
 turæ quibus ad stabiliendam necessitatem gratiæ per se efficaci pro hoc statu adversus ini-  
 micos gratiæ, & potissimum Semi-pelagianos usus est S. Aug. hæc dicta sint de sensu  
 composito suprâ explicato quem contendunt Molinistæ, non autem de sensu composito  
 quo cum omnibus prærequisitis ad agendum componitur ipsa potentia agendi oppositum.

CON-

CONCLUSIO NONA.

**L**ibenter fatemur ( inquit nuper quarundam Theſium Auctor ) ſuſtineri poſſe abſque omni nota gratiam phyſicè prædeterminantem , quam tenent Thomiſtæ non rejicientes gratiam merè ſufficientem . Certè non comprehendo quomodo is admittat gratiam phyſicè prædeterminantem ſuſtineri poſſe qui ad liberum arbitrium requirit , ut cum prærequisitis ad bene agendum , quale ſecundùm Thomiſtas eſt gratia phyſicè prædeterminans , poſſit componi oppoſitum actus : ſiquidem nunquam fieri poterit , ut gratia phyſicè prædeterminans ad amandum Deum , & non amare Deum , ſimul componantur . Hæc eſt notiſſima Thomiſtarum doctrina , ſecundùm quos ad minus æquè inſuperabiliter & indeclinabiliter liberum arbitrium ad bonum movetur per gratiam phyſicè prædeterminantem , quam ſecundùm S. Aug. & Lovaniennes per dilectationem cæleſtem quæ ſit adjutorium quo . De illis , inquit ille Theſium Author , Thomiſtis loquor , qui tenent gratiam phyſicè prædeterminantem & non rejiciunt gratiam merè ſufficientem . De iſta gratia phyſicè prædeterminante jam dictum eſt , nunc ergo pauca de Thomiſtarum gratia merè ſufficiente . Admittunt illi gratiam ſufficientem merè , id eſt , ſufficientem quæ non ſit efficax ; ſed ſufficientem hoc ſenſu ut voluntas quæ ex natura ſua eſt remotius potens , per ejuſmodi gratiam inefficacem fiat propinquius potens , modo non ita plenè quia ad actum bonum requiratur alia gratia , eaque phyſicè prædeterminans : ſiquidem notiſſimum eſt directè adverſari Thomiſtarum principiis , ut unquam habeatur actus bonus ſine gratia phyſicè prædeterminante , non minùs quàm ut habeatur gratia ad bonum phyſicè prædeterminans ſine actu bono . Illi proindè Thomiſtæ qui dicunt dari in hoc ſtatu gratiam merè ſufficientem , intelligunt ſufficientem ad certum actum v. g. ad efficacem amorem Dei , quæ tamen non ſufficiat ut ille actus efficax reipſa habeatur , niſi accedat alia gratia eaque phyſicè ad actum iſtum prædeterminans . Si roges quomodo ergo ſit gratia ſufficiens , cum revera non ſufficiat ? Reſpondebimus quod ſit ſufficiens ad poſſe , non ad actum : neque refert , quod , ut Aug. ait , poſſe ſit natura , quia inſuper datur aliud poſſe , quod ſit gratiæ etiam inefficacis . Habetur itaque poſſe à natura & habetur poſſe à gratia inefficace : hoc eſt propinquius , illud remotius , neutrum verò ita completum , quin ſecundùm Thomiſtas , adhuc requiratur gratia phyſicè prædeterminans ad actum : hanc igitur Thomiſtarum doctrinam fatemur non eſſe contrariam neceſſitati gratiæ per ſe efficaciſ , potiſſimum ſi cum ipſo nomine exprimat nomen definitio , ut pateat non admitti ab illis merè ſufficientem , eo ſenſu quo eam admittunt Moliniſtæ . Etenim cum propriè & exactè loquendo id ſolum ſufficiat præter quod aliud neceſſarium non eſt , ut aiunt Majores noſtri propriè rursùs & exactè loquendo , illa gratia reverà non eſt ſufficiens . Hinc Duacenſes ad aſſertionem ſecundam , dicunt in Cenfura ſive iudicio Scholaſtico : *ſufficiens Dei auxilium eſt præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium* . Juxtà hanc acceptionem Doctores Lovaniennes & Duacenſes ( inquit Tho. Lemos l. 4. p. 2. tract. 3. c. 1. ) in ſuis doctiſſimis Cenſuris loquuntur de auxilio ſufficienti cum dicunt , auxilium ſufficiens eſſe illud quod ſine ullo alio converſionem efficit , loquuntur enim de auxilio ſufficienti completo in ratione principii ad operandum , & non impedito , ita Lemos : dicitque hoc modo multoties S. Tho. accipere auxilium ſufficiens . Potiſſima autem ratio cur iſto modo de auxilio ſufficienti cum Majoribus noſtris & Duacenſibus loqui malimus , ea eſt , quod verreamur ne , quæ jam dicuntur de auxilio ſufficienti in ſenſu Thomiſtarum , ſucceſſu temporis trahantur ad ſenſum quo Moliniſtæ vocant auxilium ſufficiens , id eſt , præter quod ex parte Dei nullum aliud eſt neceſſarium , ut homo de facto convertatur , pièque operetur . Ex quo evenire fortassis poſſet , ut qui jam tradunt neceſſitatem gratiæ per ſe efficaciſ , poſt aliquot annorum decurſum vel putentur , vel fingantur idcirco , quia admiferunt gratiam merè ſufficientem ( ſcilicet in ſenſu Thomiſtarum ) admidiſſe merè ſufficientem

tem

tem in sensu Molinistarum ; quod vel ideo facilius evenire posset , quia , ut aiunt Majores nostri in responsione ad assertionem secundam , propriè & exactè loquendo id solum sufficit præter quod aliud necessarium non est. Neque enim novum est ut ob nominis acceptionem tribuatur aliquibus doctrina quam reverà non tenent ; ut patuit eo tempore quando ingemiscens orbis totus miratus est se esse ( vel potiùs se haberi ) Arianum. Quo equidem tempore subsecuturi mali , velut omen erat , tanta pro uno termino introducendo animositas.

#### CONCLUSIO DECIMA.

**E**X sensu ante explicato patet quod definitio liberi arbitrii *posita omnibus ad agendum &c.* quæ tanta contentione obruditur , non minus adversetur doctrinæ Thomistarum qui tenent gratiam physicè prædeterminantem nec rejiciunt merè sufficientem , quam adversetur doctrinæ Augustini & Lovaniensium : ut proindè si rationis paritatem spectemus , non magis mirum sit , quod Adversarii de mala doctrina in Hispania suspectos reddiderint , præter alios , etiam Dominicanos sive Thomistas quam quod circa tempora Censuræ Lovaniensis de Lutheranismò ac Calvinismò ipsemet Sanctus Augustinus suspectus redditus sit : Quibus omnibus ritè expensis , jam minùs mirum est quod post Augustinum etiam Lovanienses eodem titulo quo Augustinus de violata arbitrii libertate accusentur ; & cum eodem de Lutheranismò & Calvinismò suspecti reddantur. Et hæc quidem omnia propter sæpè dictam definitionem nullà , ut ante dictum , autoritate legitimâ stabilitam. Et quamvis nos nolimus Adversarios nostros eâ duritiæ , qua illi nos & ipsum Augustinum , tractare , non abs re equidem fore putavimus , ostendere quod sæpius dicta definitio liberi arbitrii intellecta in sensu composito mirè foveat sententiam Lutheri & Calvini negantium libertatem arbitrii. Siquidem hi argumentari poterunt in hunc modum : ut homo bene agat in hoc statu naturæ lapsæ , ex. gr. amando Deum , requiritur gratia per se efficax ( quod facile probabunt iis argumentis quibus Augustinus & S. Thomas cum discipulis utriusque ) atqui cum illa gratia per se efficaci non consistit potestas non agendi in sensu composito , ergo in actibus bonis non est libertas. Et similiter ex dicta definitione facile concludent , quod non sit libertas ex. gr. in omissione amoris Divini , probando quod amor divinus non possit in sensu composito poni cum prærequisitis omnibus ad omissionem amoris divini. Conformia sunt quæ de oppugnata à se doctrina , id est , antedictæ definitioni liberi arbitrii innixa , aiunt Majores nostri in Censura assertionis ultimæ : Lutheri inquit , Calvini & reliquorum nostræ tempestatis Hæreticorum sententiam , dum ab ea videri vult quàm longissimè discedere , potentiusque debellare , magis etiam imprudens stabilit atque confirmat. Nam si non possumus , vel ( ut ad mitigandam invidiam dicitur ) difficile est ab eorum sensu & argumentis B. Augustini doctrinam vindicari , quis non videat , quanti jam ponderis & autoritatis accessione hæreticorum sententia roboretur ? Ita Majores nostri de sententia quam oppugnant. Vide etiam in Justificatione Censuræ finem cap. 3. lege insuper quæ habentur initio capit. 4. ubi videbitur quod Adversarii ex sententia S. Augustini de Prædestinatione gratuita intulerint : quod omnia opera Justorum , & omnes circumstantiæ meritum augentes debeant absoluta Dei voluntate esse præordinatæ antè omnem prævisionem operum. Deinde pergunt : atque sic non posset homo unquam aliud bonum nec aliter operari , quàm esset à Deo præordinatum ; quod est contrà libertatem. Ita illi adversùs quos decertarunt Majores nostri. Ad hæc nos , si hoc est contrà libertatem ( procul-dubio ob definitionem libertatis de qua ante ) ergo secundùm istum illius definitionis intellectum , non solum illi qui gratiam per se efficacem ad bonum prærequirunt , sed insuper quotquot tradunt prædestinationem gratuitam , dicendi erunt libertatis destructores , adeoque non soli Augustinus & Thomas cum suis discipulis , sed omnes præcipuæ totius Europæ Academiæ , & tot Religiosorum

Ordinum



Ordinum scholæ quot etiamnum hodie tradunt doctrinam de prædestinatione gratuita. Ex quibus ulterius confectaneum erit, quod si hoc ad libertatem requiratur, poterit Calvinus ex Augustini, Thomæ, & omnium istarum Academicarum ac Scholarum auctoritate inferre suam sententiam de extinctione liberi arbitrii. Hanc sententiam ex adverso validissime impugnant qui arbitrii libertatem sic definiunt ut optimè consistat non solum cum prædestinatione gratuita, sed etiam cum gratia per se efficaci. Ut si definitionem conficiant conformem huic doctrinæ Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3. voluntas nostra, *quia est in potestate libera est nobis*. Et ante eodem capite: *non posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus*. Cavendum equidem ne definitio comprehendat motus voluntatis indeliberatos.

#### CONCLUSIO UNDECIMA.

**P** Ag. 10. præfationis Censuræ Lovaniensis conqueruntur Majores nostri quod Adversarii, penè omnes Massiliensium, aliorumque B. Augustini doctrinæ per Gallias olim obstrepentium querelas post Catharinum ac Pighium de integro renovent ac suscitent. Quas querelas subsequenti pagina recensent. Ad eas proinde, uti etiam ad sententias & opiniones Massiliensium Augustini doctrinæ oppositas ibidem expressas, Lectorem harum Thesium remittimus, ut videat in quibus sententiis & querelis adversus doctrinam de gratia per se efficaci, cum primis illarum auctoribus, conveniant, qui, ( ut videre est in Ripalda ) de gratia profitentur cum Ingratis :

*Vt cunctos vocet illa quidem invitetque, nec ullum  
Præteriens studeat communem adferre salutem  
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum;  
Sed proprio quemquam arbitrio parère vocanti.*

Interea nos expendemus objectiones, quibus adversus doctrinam Censuræ Justificationis allegantur à dicto Authore Thesium varii Doctores Lovanienses, qui tum ante, tum post latam Censuram scripserunt. Ex iis qui antè, Ruardus Tapperus, Driedo, Sonnius, Cornelius Iansenius Episcopus Gandensis, Cunerus Petri. Quod Ruardum, Driedonem, & Cunerum attinet, de illis occasione objectionum Deckerii egit Guilielmus Estius in responsione ad illas objectiones. *Quod viri docti, Ruardus & Driedo, inquit Estius, in ejusmodi opiniones nonnihil deflexerint, non adeò mirum, cum illo tempore, & ab illis legeretur liber de Ecclesiasticis dogmatibus, tamquam Augustini, qui est Presbyteri Massiliensis, & liber Fausti de libero arbitrio, tamquam Catholici ac Venerabilis Patris, quem tamen satis constat fuisse hariticum. Cumque brevis ille in Epistolas Pauli commentarius, qui inter opera Hieronymi exstat, tamquam Hieronymi legeretur; cum sit ipsius Pelagii. Quam tamen Driedo non prorsus cum illis sentiat, vel eo monstratur, quod Driedo non uno loco fatetur & docet, Deum sua prædestinatione voluntates humanas determinare ad opera prædestinata, & facere ut homines determinent seipsos. Qua doctrina verissima ab his tantoperè oppugnatur. Ita Estius. Postea de Cunero: Cunerus, libro quem post mortem ejus dictis ac prudentibus quibusdam viris frustra dissuadentibus, Sacellanus ejus Colonia excudi curavit, ingenuè fatetur eam sententiam esse Scripturis & rationibus conformiorem, quam tradunt D. Thomas, Bonaventura & reliqui alii Scholastici Doctores: dum præter virtutum naturalium conservationem volunt ipsas vires & potentias divinitus ad opera & actus applicari, & ab ipso, tamquam à primo immobili motore, motus omnes & actiones procedere. Vbi & generaliter affirmat, quod non solum in naturalibus, sed in aliis etiam qua mala non sunt, Deus causas secundas ad actus & motus suos determinat. Et alio loco, omnia ab aeterno esse divinitus determinata Deumque suâ providentiâ bonum opus ab homine faciendum, determinare. Et paucis interjectis, idem Cunerus alibi dicit, hoc ad magnam Dei potentiam spectare, quod alterius libero arbitrio utatur pro suo arbitrio. Perperam dicitur Sonnius*  
secus

secus quàm Censura Lovaniensis sentire in tractatu de Passione Domini; siquidem cap. 19. sic ait : *cujus vult miseretur , & quem vult obdurat , id est deserit , ut sit sensus cujus vult miseretur trahendo ipsum ad Christum , ut meritis illius salvetur ; quem vero vult obdurari , illum obdurat , relinquendo eum sine pulsu , tractu , aut inspiratione , quibus convertatur ad Christum Salvatorem mundi...* Omnibus quidem sufficienter meruit Christus patiendò , attamen non ad omnes pervenit fructus meritorum ejus. Plura his conformia vide eodem capite. Nec vidimus ullum fundamentum dicendi quod Jansenius Episcopus Gandensis in Concord. Evang. in illud Lucæ 13. *Ierusalem Ierusalem qua occidis &c.* sentiat aliter quàm Censura Lovaniensis ; ut objicitur , de gratia sufficienti. Debuisset præterea explicando hunc textum : *quoties voluit congregare filios tuos , &c.* sensum suum aperire dicendo Deum voluisse quantum est ex parte sua dando gratias internas sufficientes , cum tamen potiùs explicet textum de oblatione gratiarum externarum , sic enim ait : *Dicit ergo se multoties illis occasiones varias obtulisse quibus ad ipsum pertraherentur , mittendo Prophetas , præcipiendo , invitando , comminando.* Vide eum etiam in concord. cap. 59. ubi docet quod gratiæ divinæ efficacia ex nolentibus faciat volentes. Et illa verba , *nemo potest venire ad me nisi Pater qui misit me traxerit eum* sic esse accipienda , ut non significetur potentia credendi esse à Tractu Patris , sed ipsum credere necessario ab illo pendere : quæ potiùs doctrinam ipsius Censuræ quam oppositam indicant. De Maldero & Wiggers fatemur lubenter quod in doctrina de gratia hujus statûs non consentiant Censuræ , nec tamen hi cum Lessio sentiunt potissimùm de Prædestinatione , quam ante prævisionem meritorum factam asserunt ad gloriam. Adversus Thomam Stapletonum vide quæ ( certè non levia ) allegat Lemos lib. 4. part. 2. tract. 4. c. 35. n. 619. ex quibus faciliè erit videre quod eum pro se allegantes in hac materia doctrinam suam infirmant potiùs quam stabiliant.

#### CONCLUSIO DUODECIMA.

**E**X Justificatione Censuræ cui an. 1588. die 17. Augusti subscripserunt Michaël Bayus , Renneri , Baccherius , Gravius , Lensæus , Wallius , Everaerts , Cuyckius , Janfonius , Clarius , Jacobus Bayus & Loyaerts , patet quid illi senserint non solum tempore Censuræ latæ an. 1586. sed etiam biennio post. Quid verò qui Facultatem Theologicam constituiebant anno 1613. manifestum est ex declaratione in qua asseritur quod etiam tempore inter Censuram & hanc declarationem medio in doctrina Censuræ Facultas semper perstitit , nec umquam ab illa discefferit. Perperam proinde ex quibusdam juvenum Thesisibus ante dictum annum decimum-tertium defensis conjicitur , quod Janfonius , Loyaerts & Fabricius à doctrina Censuræ recesserint , cum ipsi eo anno cum reliquis Collegis suis , nullo ut aiunt , Magistrorum contradicente declaraverint se in doctrina Censuræ semper perstitisse. De Clario quoque , qui ante declarationem obiit idem præsumendum est. De Janfonio fama ipsa loquitur ab ipsis Adversariis toties renovata : vide inter cæteros P. Franciscum Formestraux Soc. Iesu agentem adversus Philalethen. cap. 1. sect. 2. §. 3. n. 32. & 33. Quod D. Loyaerts attinet , sicuti Iacobum Bayum in sententia sua perstitisse colligimus non solum ex subscriptione declarationis anni 1613. sed etiam ex iis quæ habet lib. 1. institut. Religionis Christianæ cap. 109. ita quoque non solum ex ipsa subscriptione , sed etiam ex iis quæ habent enotationes Evangeliorum per dictum Loyaerts , Dominica secunda post Pascha , ad illum textum , *alias oves habeo quæ non sunt &c.* colligimus ipsum in sua sententia perstitisse.

#### CONCLUSIO DECIMATERTIA.

**S**extus V. die 15. Aprilis an. 1588. misit decretum ad Episcopum Calatinum Apostolicæ Sedis ad partes inferioris Germaniæ Nuntium , ut per eum dissidia quæ inter Theologos Universitatis Lovaniensis & Sacerdotes Soc. J. qui Lovanii Theologiam profitebantur , orta erant , componerentur. Quod decretum decimâ Julii ejusdem anni Lovaniensibus

buz

bus intimatum est. Hinc conficitur, ex justificatione Censuræ quæ die 17. Augusti ejusdem anni omnium Lovaniensis Facultatis Doctorum concordati judicio probata est, & die 9. Septembris Nuntio Apostolico tradita, evidenter probari quod Doctores Lovanienses etiam post Decretum Sixti V. in sua sententia persistenter. Pari evidentia probatur ex declaratione Lovaniensium anni 1613. & Duacensium anni 1648. quod tam hi, quàm illi, sententiam suam in Censuris, id est, judiciis scholasticis contentam, palam professi sint non solum post Decretum Sixti V. Lovaniensibus insinuatam, sed etiam post edictum prædicti Nuntii, per quod anno 1591. Decretum Sixti intimatum est Duacensibus. Nec ratio erat cur Lovanienses ob decretum Sixti V. sententiam mutarent, ut patet ex his verbis edicti Calatini *utriusque opinionis assertoribus maneat sua sentiendi & docendi libertas, servatâ utrimque christianâ in eruendâ veritate modestia, depulsiisque hinc inde injuriis ac inventivis, privatis, publicisque convitiis, donec &c.* reliquit ergo Sixtus nostris saltem libertatem in sententiâ suâ persistendi. Præterea five in litteris Sixti V. habeatur controversias fuisse ortas in quibusdam articulis *Sacræ doctrinæ*, ut ait Lemos, five habeatur *Sana doctrinæ*. Nulla equidem inde habetur ratio ob quam nostri vel allicerentur ad mutandum sententiam, nisi fortè Lessii discipuli dicant quod doctrina P. Lessii saltem eo sensu fuerit illic pronuntiata sana, ut ab ea recedere non conveniret. Verum si ita est, cur ab ea recedere iusta est tota Societas per Decretum R. P. Claudii Aquaviæ Soc. J. Præpositi Generalis datum anno 1617. ut refert Tannerus in 1.2. disp. 6. q. 2. d. 5. Deinde si ita est, cur à sententiâ Lessii de prædestinatione post prævisa merita non solum Tannerus & Bellarminus, sed tot alii Soc. Jesu Theologi recesserunt, & etiam hodie recedunt? Denique si articuli Lessii eo sensu dicti sint sanæ doctrinæ, cur hodie Patres Societatis non tenent tres assertiones de Scriptura Sacra, quæ primo loco improbantur in Censura Lovaniensi? Non omnino dissimilia sunt quibus Balduinus Rithovius Doctor Duacensis adversus Decretum probat Nuntium Apostolicum intelligere voluisse *sanam doctrinam* in genere, quâsi dixisset super quibusdam capitibus salutaris seu Christianæ doctrinæ, controversiam fuisse exortam. *Qui intelligere volunt, inquit Rithovius, quamquam Apostolica Sedes pronuntiaverit sanam doctrinam in materia de gratia, legant & bene sequantur qua de ea re definiit Cælestinus Papa in epistola ad Episcopos Gallia ante annos 1100. contra Presbyteros Massilienses doctrinæ B. Augustini obstrepentes. Quæ item S. Leo in Conc. Arausicano. Ad quæ profecto, & his similia, antiqua & probata, utilius, Auditores, recurreretis in hac causa, quam ad quorundam modernorum doctrinam.* Hæc Rithovius. Tantum abest ut Lessii doctrinam præ Lovaniensium Sixti Decreto fuerit sana declarata, ut potius teste Patre Henriquez Theologo Societatis **JESU** in libro de fine hominis cap. 12. ab ipso Sixto de doctrinâ suâ circa prædestinationem Lessius reprehensus fuerit.

P E R T I N E N S.

**E**ditus est nuper liber aliquis cujus scopus est verum Scripturæ sacræ interpretem esse Philosophiam: an satis ab illius Methodo recedant qui tot profundas de Gratiâ Christi doctrinas, quas à fide accepimus examinant secundum definitionem liberi arbitrii ante assignatam, quæ non nisi ex humana Philosophia cum suo sensu composito profuxit?

F I N I S.















Theles  
Doctorū  
Academiae  
Lovan.

Th

2170